



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

29. An aliquando sint absolvendi, qui nolunt dimittere occasiones
proximas peccandi? Et pro praxi supra dictae quæstionis multi casus in
corpore hujus Resolutionis explanantur sæpè contingentes in ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

Judex, & Medicus peccatorum committendorum, sed jam ante commissorum: ac proinde sub conditione peccati futuri applicare medicinam non potest, quam tu alias obligatus non sis accipere ad præcavenda futura peccata.

RESOL. XXVIII.

An quis teneatur occasionem proximam peccandi vitare cum suo magno detrimento, ita ut Confessarius non possit illum absolvere?

Sed difficultas est, quando nullus apparet profectus, an sit impedienda toties, quoties absolutio? Ex p. 2. tit. 16. & Misc. 2. Ref. 45. alias 47.

§. 1. R Espondeo negativè, si pœnitens habeat propositum amplius non peccandi; quia in hoc casu non dicitur velle occasionem, sed permittit, cum non vitare occasionem, non oriatur, quia vult pœnitens in illa permanere, sed quia vult non incurere damnum in vita, honore, & pecuniis, quod abjecta occasione obveniret.

2. Sed difficultas est, quando nullus apparet profectus, an sit impedienda toties quoties absolutio? Negativè respondet Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 3. 2. sect. 2. in fine. Graffius in decis. part. 1. lib. 1. cap. 28. n. 23. Reginald. in praxi tom. 1. lib. 8. n. 19. Navarr. in c. 3. n. 21. & alij.

3. Sed contrariam sententiam docet Vivaldus in Candelabro tit. de absoluteione. §. casus Episcopis reservati, n. 43. & novissimè Joannes Sancius in selectis, disp. 10. n. 16. ubi adversus Suarez, sic asserit. Ingresso octavo, filium familias non potentem ejicere domo ancillam, cui sæpè copulatur, fore absolvendum toties, quoties verè pœnituerit, non solum quando aliqua emendatio notatur, ut tenet Suarez, & alij, verum etiam quando nullus apparet profectus, impossibile sanè moraliter non est pœnitentem modo verè dolere de peccato, & proponere cavere; statim verò post reditum ad domum occasione instanti mutare propositum; & inquit ab his Doctõribus contrarium docentibus, an absolvent ipsi pœnitentem, sæpè consentientem eadem peccata venialia; quando nullus appareret profectus? Absolutionem sanè impendunt; quamvis occasio peccandi venialiter non esset abscissa, non solum si in potestate pœnitentis non sit occasio removere, imò etiam si posset. Igitur & impertiri debent respectu mortalium, quando adfuerit dolor, & verum propositum cavendi in futurum.

4. Nec satisfacit responsio Coninch. de Sacramento. disp. 2. dub. 14. in fine, quod facilius debeat dari absolutio respectu venialium, quam mortalium, eo quod facile magis committantur illa, quam ista. Non, inquam, valet, nam etsi facilius committantur venialia, verum tamen propositum, & dolorem venialium gerere tenetur pœnitens, dum ea subijct confessioni, saltem, quando veniale, quod confitetur, esset totalis materia confessionis. At si respectu venialium reperiri queat verum propositum, & dolor absque aliquo profectu, quare respectu mortalium id inventi non valebit; Dum verò pœnitens verò proposito est affectus, dignus est absoluteione, quantumcumque nulla notetur emendatio. Hoc addeò verum est, quod ea ratione asserat Suarez, & ceteri, negandam esse absoluteionem, quando nullus apparet profectus, quod præsumitur fictitiam propositum pœnitentis: vellem ab eis audire, quare respectu venialium non adit hujusmodi præsumptio, etsi nullus apparet profectus, & inchoata emendatio, interveniat tamen respectu

Tom. I.

mortalium? Ita Sancius, quæ omnia ab ipso transcripsi, quia nova, & à viris doctis dijudicanda. Si verò, adversus Sancium, dices in tali casu saltem propter recidivam, erit absolutio neganda; respondit Sancius negando, nam ipse in disp. 9. num. 6. & seq. docet nunquam propter recidivam, esse absoluteionem denegandam, si pœnitens habeat dolorem de præterito, & propositum de futuro. Sed de hoc nos in tract. de Circumstantiis.

Infr. in tr. 7. Ref. 125.

RESOL. XXIX.

An aliquando sint absolvendi, qui nolunt dimittere occasiones proximam peccandi?

Et pro praxi dicta questionis multi casus in corpore hujus Ref. explanantur sæpè contingentes in facto, quos Confessarius in promptu habere debent, quia quotidiani. Ex p. 4. tract. 4. & Misc. Ref. 165.

§. 1. D E hac questione alibi etiam actum est. Nunce verò addam tantum verba Josephi de Ortu in speculo Parochorum cap. 10. n. 33. ubi sic ait. Parochus non debet absolvere peccatores, quidum possunt nolunt dimittere occasionem proximam peccandi, tamen iis infra concurrentibus potest absolvere. Primò, si in peccatore est vera pœnitentia præteritorum; secundò verum & firmum propositum non peccandi; tertio crudelitas quod Deo adjuvante pœnitens ipse non peccabit eum se invenerit in illa proxima occasione; quarto si adfit aliqua rationalis causa non separandi sive pro tunc, sive per aliquod tempus, erit exemplum si ex tali separatione damnum corporale, vel scandalum magnum sequatur, nihil obstat si concurrentibus iis, pluries etiam septuagies septies pœnitens reinciderit, quia per hoc non fit argumentum verum adjudicandum non fuisse, neque esse veram pœnitentiam sive præsentem, vel præteritam, cum natura humana sit labilis, & de facili mutetur de uno statu in alium: unde notandum est, quod in statu peccati est, & vult, non est capax absoluteionis; qui verò in occasione peccandi est, iis supra concurrentibus absolvi potest. Absolutio pariter non est deneganda pœnitenti, qui vult cavere à peccato, sed credulitate habet reincidere propter magnam consuetudinem quam habuit peccandi; ista enim credulitas relabendi non impedit, quin absolutio pariat effectum suum, dummodo pœnitens, ut dixi, proponat non peccare, & illo tempore caveat. Idem sentio de iis qui legitime sunt conjugati, & deinde habent aliquod impedimentum occultum pro quo veniunt separandi quoad thorum, expectando Pontificiam dispensationem, quamvis interim peccatum timeatur propter proximam occasionem, dummodo illa quatuor, cuius dicta concurrant, possunt absolvi, in eadem domo simul cohabitare, & alter alteri servire, quamvis familiariter, & uti consanguinei simul cohabitent, eo maxime licebit, quando eorum separatio à longè esset scandalosa. Idem sentio de viris, qui artem medendi exercent in partibus secretioribus, maxime in mulieribus, & sæpè peccaverunt saltem morosis delectationibus. Idem sentio de Confessariis, qui quotiescumque confessionem cujusdam invenit, vel certè mulieris audiunt, sæpè peccant. Idem sentio de pœnitentibus, qui accedentes ad quemdam Confessarium se morose delectant delectatione mala, unde sæpè peccant, quando mutare non possunt absque nota infamie, vel scandalii. Idem sentio de Magistris quarumcumque artium, qui docent puellas, vel pueros, & occasionem

Alibi in Resol. præterita, & in Ref. seq. §. in hoc ergo, & §. ult. & infra in Ref. 3. & in to. 8. tr. 6. Ref. 5. §. ult. à lin. 4. & in tom. 2. tr. 6. Refol. 119. §. Difficultas, in fine, & in aliis Refol. 65. & vers. postis in annot. Refol. 3. hujus annot.

Sup. hoc in annot. ult. hujus Ref.

Sup. hoc in Ref. not. seq. & in aliis ejus annot. primæ.

X prox



proximam habent peccandi, sive opere, sive cogitatione, sive locutione, quamvis non proponant dimittere artem, vel ministerium, dummodo quatuor illa superius allata concurrant, omnes absolvi possunt, & hæc omnia docet Joseph ab Ortu ubi *suprà*, quæ an omnia probabilia sint, iudicent viri docti, maxime exemplum de Medico, licet, ut alibi diximus, Castrus Palaus & alij hanc sententiam etiam doceant; sed ego ejus probabilitatem etiam aliis iudicandam relinquo, mihi enim non placet.

Alibi in to. 8. tr. 6. Ref. C. & in aliis eius primæ annot.

RESOL. XXX.

An propter reincidentias frequentissimas sit neganda, vel differenda pœnitentibus absolutio sacramentalis? Ex p. 1. tr. 8. & Misc. 8. Ref. 30.

Sup. hoc sup. §. 1. **S**uppono posse esse causam justam negandi pro aliquo tempore, vel differendi absolutio- nem in bonum ipsius pœnitentis, adhibendo aliqua media; sed difficultas est, an illis tentatis, pœnitens adhuc in iisdem peccatis miserè reincidat?

2. Tractat hanc difficultatem novissimè Dicastillus de Sacram. tom. 2. tr. 8. disp. 10. dub. 29. n. 573. & sic responderet: Hic profectò hærent non pauci, & fateor me hæsisse non rarò, quod enim aliqui dicunt differendam esse illis aliquoties absolutio- nem, donec aliqua appareat emendatio, id experientia compertum est non rarò nocere, nisi fiat interim, dum melius instruitur, & cogitatur de re tota, juxta ea quæ dixi *disp. 6. dub. 21.* de cætero, præcisè dilatio rarò prodest, & sæpè nocet, & idem Joannes Sanchez, quem ibi retuli, non satis probat hoc remedium, & Confessarij experiuntur non semper bene succedere, imò sæpè malè. Sic enim multi confessarium mutant, ut jam nova series remediorum incipiat, & pro primis vicibus beneficium absolutio- nis accipiant, cum quo, si postea non succedat, mutant, & pergunt ad alium, reintegrando etiam ab initio causam, & litem. Unde hic obiter monuerim Confessarios id ipsum debere exquirere à pœnitentibus, quos non rarò tales inveniunt.

3. Sed quidquid de hoc sit, quid faciendum, si, licet non adeat alium Confessarium, nec confessionem per totum annum omitat, sed eundem iterum, ac sæpius consulat, petatque absolvi, nulla tamen appareat emendatio? an iste sic rejiciendus est? an potius aliquando absolvendus? Sanè si nunquam absolvatur per totum annum, ea non absolutio quid poterit prodesse, si alioquin ille capax est hic, & nunc, quando accedit? nam si non sit capax, nulla est quæstio, sed certum est nunquam esse absolvendum.

4. Quod si capax est, quando accedit, & aliquoties putetur pro medicina neganda absolutio, cur toties, & non sæpius? aut cur, si semper est capax, non semper illi confertur, maxime si jam experimento notum sit, non esse illi valdè molestum aliquoties absolutio- ne privari? Unde illud remedium non video, quid commodi possit tunc haberi? imò potius incommodi, dum privatur gratia Sacramenti, & auxiliis, quæ intuitu illius ritè suscepti dari solent, alioquin non danda.

5. Propter hæc, & similia rarò (fateor) utendum iudicio prædicto remedio neganda, aut differenda absolutio- nis, durumque mihi semper videtur, pœnitentem alioquin capacem tantæ gratiæ illa privare. Nec tantum æstimo prodesse illum sive metum, sive molestiam negatæ absolutio- nis impensæ, seclusa

convenientia temporis accepti ad melius instruendum, & disponendum, ut jam dixi.

6. In hoc ergo negotio, quando justæ, & rationabiles ea usæ non tollendi prædictam occasionem subsistunt, etiam si sæpius reincidat pœnitens, nec cogendus est illam tollere occasionem, nec privandus absolutio- ne, etiam sæpissimè recidivus, qui potius hortandus, ut sæpè veniat ad confessionem, aliaque media adhibenda, quæ, spectato personæ statu, & opportunitate, prudenti Confessario expedire videantur, in quo vix, imò ne vix possunt aliaque certæ regulæ assignari.

7. Hæc doctrina sic, quantum à mè fieri potest, declaratur. Vel illa absolutio tunc est neganda propter frequentiam peccandi. Vel propter occasionem non vitatam; non propter hoc ultimum, quia non tenetur hic & nunc, ut supponimus, vitare, non propter illud prius, ut probat discursus factus, quia illa negatio absolutio- nis vix potest prodesse, nisi fortè rarissimè, magisque proderit frequentia confessionis, & frequens beneficium absolutio- nis, ergo ex nullo capite erit neganda, si alioquin sit capax pœnitens.

8. Sicut ergo in peccatis, in quibus nec moraliter, nec physicè potest occasio penitus tolli, ut contingit in peccato mollietæ, potius Doctores, & usus Confessariorum habet injungere frequentiam confessionis apud eundem Confessarium, quam venientem absolutio- ne privare. Sic in his peccatis in quibus, si non physica, saltem moralis impossibilitas avertendæ occasionis reperitur; non videtur exigendum remedium separationis occasionis, nec remedium denegandæ absolutio- nis, cum hoc Sacramentum Christus instituerit non solum ad deleganda præterita, sed ad præcavenda futura peccata. Negata verò absolutio- ne, vel (quod idem est in præsentem) dilata, negatur Sacramentum, atque adeo remedium à Christo institutum contra futura peccata. Quis autem unquam vidit oportere privare ægrotum, alioquin capacem remedij, optimo, & maximo remedio ad sanandum vulnus, ut vulnus sanetur?

9. Itaque concludo vix oportere uti, quando pœnitens est capax absolutio- nis, hujusmodi remedio, nisi fortè, quando per breve tempus differatur absolutio, ut adhuc perfectius, si id speratur, disponatur ad accipiendam illam ipsam illorum peccatorum absolutio- nem, quæ tunc debebat conferri, in quo sensu loquutus sum in ea *disp. 6. dub. 21.* quando contende- bam esse causam differendi absolutio- nem, rarò enim ex mera dilatio- ne absolutio- nis potest sperari correctio. Et sanè non video cur melius sperandum sit de peccatore tantum attrito, atque adeo non habente gratiam, & amicitiam Dei ante collatam absolutio- nem, quam de illo ipso jam constituto in amicitia Dei per absolutio- nem collatam. Quod si accesserit non jam attritus tantum; sed contritus, multò magis mihi videtur durum & absolum, amicum Dei, & amantem illum super omnia, non jam propter peccata præterita; sed propter metum futurorum, beneficio Sacramenti, & absolutio- ne privare. Et hæc omnia docet Dicastillus ubi *suprà*.

10. Sed circa negandam, vel concedendam absolutio- nem in multis casibus, vide omnino Leandrum de Sacram. tom. 1. tract. 5. disp. 7. à q. 31. usque ad 56. in quibus discutit multa dubia more suo doctè, & breviter, adi illum, & non pigebit.

RESOL.